51

QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis agitanda disputationibus in Antonianis Medicorum Remensium Scholis, moderatore Clarissimo Viro M. FRANCISCO FRAMBESARIO, Doctore & Professore Medico, die 16. Augusti, horâ octauâ matutinâ.

58

An principum partium idem consensus?

CORPVS humanum stupendum Dei opificium ex quatuor simplicissimis naturis non potentiâ tantùm sed actu remanentibus conflatur; & mirâ partium diuersitate donatur, quarum aliæ similares & simplices sunt, aliæ dissimilares & compositæ: quædam sanguineæ sunt ex materno sanguine genitæ, aliæ spermaticæ constitutæ ex vtriusque parentis semine à solis testibus formam, fœcunditatem & ideam singularum partium nacto, quod ab vtero cucurbitulæ instar attrahitur in eoque conclusum ad fœtus generationem suscitatur peculiari & propria ipsius vteri actione, quæ conceptio dicitur.

FOETVM suis partibus & numeris omnibus vndique absolutum, iamque in lucem editum, aliquo nutriri alimento necesse est, quo triplicem substantiam quâ constat spirituosam, humidam & solidam continuo caloris motu euanescentem instaurare possit: alimentum verò dissimile & à natura nostra valdè alienum multis concoctionibus ipsi simile reddi debet, quarum prima est chylosis cujus officina est ventriculus, qui alimentum per rectas fibras attrahit, per obliquas retinet, ac tandem insita sibi proprietate & caloris viscerum proximè adjacentium adminiculo transmutat in chylum cremori similem, quem postea sibi nutriendo ineptum per transuersas fibras in intestina propellit.

DIVERSIS licet atque distinctis sedibus partes corpus nostrum regentes collocentur, mutuas tamen sibi tradunt operas, & singulis partibus auxilia subministrando vitæ incolumitatem, totiusque viuentis conseruationem procurant. Hepar hæmatoseos instrumentum, venarumque principium, per lacteas venas tanquam per manus ab intestinis synceriorem chyli partem attrahit, & suo parenchymate conuertit in sanguinem per venas toti corpori distribuendum, vt singulæ particulæ portionem suæ naturæ congenerem alliciant, nec sanguinis duntaxat, sed & spiritus naturalis author est hepar; ideoque facultatis naturalis fons iure appellatur, & cum singulis partibus commercium habere dicitur, cùm a nutritione vita sit inseparabilis.

COR non primum viuens, sed vltimum moriens, viscerum nobilissimum & calidissimum, facultatis vitalis solium, & arteriarum scaturigo est, per quas vitales spiritus ad vitæ tutelam caloremque influentem ad natiui robur suscitandum singulis partibus distribuit pulsus beneficio, qui reciproco diastoles, & systoles motu perficitur: diastoles interuentu cor ex vena caua in dextrum ventriculum sanguinem, & ex pulmonibus in sinistrum synceriorem aëris partem ad vitalium spirituum generationem & caloris contemperationem attrahit; systoles autem auxilio tum ex sinistro ventriculo sanguinem arteriosum & spiritus cæteris partibus communicat, tum fuliginosa expellit excrementa, quorum motuum tanta est necessitas, vt ijs omninò feriantibus ob præcipitem virium ruinam ne temporis exiguo quidem momento viuere homo possit.

CEREBRVM mentis sacrarium, & facultatum animalium sedes est, tum principum imaginatiuæ, ratiocinatiuæ, & memoratiuæ sedibus minimè disclusarum, tum sensitiuarum, & motiuarum, licet non sentiat nec motu voluntario quem alijs impertit partibus moueatur: spinalis etiam medullæ origo est, atque neruorum, per quos tanquam per canales spiritum animalem in ipsius ventriculis ex aëre ac spiritu vitali elaboratum ad sensus & motus organa transmittit, tanta autem est cerebri per neruos cum cæteris partibus affinitas, vt si ipsi crasso aliquo, lento, ac viscido humore obstruantur, partes illicò sensu ac motu priuentur vt in paralysi, & si propter ventriculorum obstructionem spirituum animalium impediatur distributio vt in apoplexia, functiones animales omnes statim corruant, cæterasque mox eâdem ruinâ obruant.

Ergo principum partium idem consensus.

Proponebat Remis ANTONIVS ESMERY Parisinus, *Artium Magister & Medicinæ Baccalaureus, Anno Domini M. DC. LVI.*

DOMINI DOCTORES AC PROFESSORES DISPVTATVRI.

M. Andreas Oudetius Prof. Anton.
M. Ioannes Richeletius.

M. Claudius Nolin
Decanus.

M. Nicolaus le Comper.
M. Petrus Rainssant.

Disputabunt insuper alij Domini Doctores Medici.

M. Petrus Oudinet. *M. Ioannes Lapille.* *M. Ioannes Deüil.* *M. Thomas le Fricque.*